

cujus conventus habentis specialem observantiam abstinendi a carnibus, vel quid simile; in illis enim est peculiaris ratio dubitandi, quia sunt superiores, qui non tenentur se subdere legibus inferiorum; statutum autem provinciale, respectu Prælati generalis, est inferioris ordinis, factum scilicet a provincia sibi subjecta; et eadem proportio est de Provinciali respectu statuti vel consuetudinis unius conventus, et præterea esset valde onerosum his Prælati, dum singulas provincias vel domos visitant, singulorum moribus sese accommodare. Respondeo supponendo semper, in his et similibus rebus, standum esse constitutionibus, vel receptis consuetudinibus singularum religionum; his ergo remotis, loquendo ex vi juris communis, idem dicendum censeo de ipsis Prælati, quod nimirum, dum hospites sunt, teneantur servare mores locorum in quibus versantur, tum quia hoc exigit ipsa generalis ratio societatis; tum etiam quia ibi intervenit aliud generale præceptum, quod hospites obligat sese conformare moribus locorum; hoc autem non est unius loci vel provinciae, sed commune omnibus, et ideo Prælatos etiam obligat. Tum denique quia nullum statutum religionis potest habere vim legis perpetuae, nisi ab ipso Generali confirmatum sit, et ideo, licet non sit universale pro omnibus locis, non potest dici latum ab inferiori Prælato ac proinde eadem ratio obligationis in illo erit, quæ in cæteris.

25. *Tertium dubium, quantum obliget præceptum positum a superiore.* — Tertium dubium hic esse potest de quantitate hujus obligationis in conscientia, an extendatur etiam ad culpam mortalem. In quo certum est potestatem ad hoc extendi, quia si consideretur ut fundata in voto, illud ex suo genere obligat sub mortali; si vero ut est jurisdictio, illa etiam perfecta est, et ideo se extendit ad obligationem materiae et rei præceptæ convenientem; qua ratione constat, non solum in Pontifice, sed etiam in Episcopis esse hanc potestatem; illam ergo participant religionum Prælati. Difficultas ergo est de usu, seu actuali obligatione, id est, quando præceptum Prælati tale sit, ut obliget sub mortali. Hoc autem ex generalibus principiis legum definiendum est, accommodando illa ad talem statum. Supposita ergo potestate, de qua jam dictum est, duæ conditiones necessariae sunt: materia capax talis obligationis, et voluntas Prælati. Circa priorem solum est advertendum, aliquam actionem vel materiam, secundum se

spectatam, posse videri levem, quæ in tali statu, ratione finis et circumstantiarum, sit gravis; quia ejus dilatio in tali statu potest religioni afferre grave nocumentum. Circa posteriorem observandum est, communem morem religionum esse, ut ordinaria præcepta Prælatorum, quæ ore tenus fiunt, non censeantur ita obligare, ut, si absque contemptu, ex negligentia vel alia occasione omittantur, transgressio sit mortalis, etiamsi materia sit gravis, et verba sint præceptiva, vel in actu signato, ut *mando, præcipio*; vel in actu exercito, ut *fac, recita*, etc. Cujus ratio non est, nisi quia ex usu illa verba non satis indicant in Prælato voluntatem obligandi. Ita sumitur ex D. Bern., lib. de Præcepto et dispens., c. 12, et S. Thom. 2. 2, q. 186, a. 9, ubi late Cajetanus, et Nav., c. 23, numero trigesimo quinto, et sequent.; clarius id docet D. Ant., 3 p., tit. 16, c. 1, § 9; Gerson., p. 2, Alphab. 32, lit. L, consider. 6, et Alphab. 34, lit. M; Angles, p. 2, q. de Voto, articulo secundo, difficult. 16.

26. Unde ulterius addo, si Prælati præcipiendo addat verba quibus satis indicet voluntatem obligandi in conscientia juxta materiae capacitatem, tunc, supposita materiae gravitate, obligationem esse sub mortali: ita docent omnes, et est clarum ex dictis. Quæ autem sint hæc verba aut signa, ex usu uniuscujusque religionis sumendum est; communia autem sunt, cum superior præcipit *in virtute obedientiæ*, aut in *virtute sanctæ obedientiæ*; in aliquibus etiam sufficit dicere, *in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Idem censendum est quando præceptum ponitur sub excommunicatione. Et quidem, si excommunicatio imponatur ipso facto incurrenda propter præcepti transgressionem, res est indubitata, quia excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum mortale. Si autem solum adjungatur excommunicatio ferenda, aliqui putant non esse sufficiens signum, quia non statim incurritur censura per illum actum, sed requirit novam contumaciam, ut imponatur. Ita sentit Angles, supra; et Cajet., in Summa, verb. *Clericorum peccata*, et verb. *Præcepti transgressio*. Alii vero communiter sentiunt etiam illud esse sufficiens signum obligationis sub mortali, nisi aliquibus indiciis sufficienter constet illam esse meram comminationem externam. Ita sentit Cajet., dict. art. 9; Navarr., dict. cap. 23, n. 53; Castro, 1 de Lege pœn., capite quinto, docum. 4, ad fin.; et Sylv., verb. *Præceptum*, q. 3; Angel.,

verb. *Lea*, § 3; Tabiena, eod. verb., § 28; S. Antonin., dict. § 9. Qui generaliter loquuntur de quocumque præcepto ecclesiastico, quia per transgressionem talis præcepti efficitur quis dignus excommunicatione; non autem fit dignus nisi per peccatum mortale, etiamsi excommunicatio per judicem ferenda sit. Propter quod probabilior est hæc sententia; videtur autem mihi longe certior inter religiosos, inter quos etiam raro vel nunquam proponitur hæc censura per meram comminationem, sed ad explicandum præcepti rigorem; sufficienter ergo indicat voluntatem obligandi, per se ac regulariter loquendo.

27. *Quartum dubium, de excusationibus obligationis in conscientia.* — Quarto dubitari potest, an possit religiosus ab hac obligatione aliquo modo excusari. Quod dubium intelligi debet, perseverante voluntate superioris præcipientis, et volentis obligare; nam si ipse revocet præceptum, vel si finiatur terminus pro quo positum erat, jam illa erit non excusatio, sed cessatio obligationis et præcepti, dummodo revocatio valida fuerit; de quo infra in proprio capite dicemus. Durante autem præcepto, contingit in aliis legibus excusatio vel per ignorantiam, vel per necessitatem aut coactionem. De priori certum est etiam in præsentem posse intervenire, sive sit sermo de ignorantia facti, sive juris, cum hæc præcepta humana sint. Quando autem hæc ignorantia invincibilis sit, ex generalibus principiis expendendum est. Solum hic advertimus, ignorantiam proprii juris non facile esse excusabilem in religioso, quia majori obligatione tenetur illius notitiam et frequentem memoriam habere, præsertim quoad eas leges quæ sub culpa obligant. Altera item excusatio locum habet in præsentem materia, quia præcepta hæc, de quibus agimus, humana sunt, et ideo non obligant cum tanto rigore. Item, quia voti executio non obligat in simili eventu; ergo similiter, etc. Dices, hoc solum habere locum, quando rationabiliter præsumitur intentionem superioris non fuisse obligare pro tali eventu, quod est contra suppositionem paulo ante factam, qua dicebamus quæstionem procedere durante præcepto et voluntate superioris. Respondetur illud intelligi de præcepto et voluntate generali ac per se, non de voluntate particulari, etiam ex suppositione talis circumstantiæ; sicut quando intervenit ignorantia, perseverat præceptum et voluntas superioris, non quidem obligandi cum hac reflexione, etiam interve-

niente ignorantia, esset enim irrationabilis voluntas, sed generaliter, quantum est ex se.

28. Sed quid, si voluntas superioris sit obligandi, etiam in eo casu particulari, non obstante coactione, mortis periculo, vel alia simili necessitate? Respondetur, in hoc duplicem esse posse quæstionem. Una est, an præcipere hoc modo excedat potestatem Prælati religiosi, ita ut, licet velit, non obliget. Altera est, quando censendum sit ita velle, et rationabiliter velle. Circa priorem quidam simpliciter affirmant, id esse supra talem potestatem. Ita sentiunt Tabiena, verb. *Episcopus*, § 1, concl. 5; et sentit Armilla, verb. *Obedientia*, n. 5, citans D. Thomam, 2. 2, q. 104, art. 5, dicentem, in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem vel conservationem, non teneri subditum parere superiori. Fundari possunt primo, quia tota hæc obligatio radicaliter fundatur in voto obedientiæ, et consequenter in intentione voventis; nullus autem intendit se obligare ad parendum in hujusmodi eventu. Item, quia tantum obligatur religiosus ad obediendum secundum regulam; regula autem non præcipit res adeo difficiles, nec cum tanto discrimine; ergo. Unde infert Armilla non posse Prælatum religionis præcipere subdito, ut assistat infirmo tempore pestis.

29. Nihilominus dicendum est hunc modum præcipiendi non excedere potestatem Prælati religiosi. Ita tenet Cajetanus, tom. 3 Opuscul., tract. 9, qui est de hac re, et sumitur ex eodem et communi sententia, 1. 2, q. 96, art. 4. Et ratio est, quia Prælati religionis est vere superior, habens potestatem ad omnia quæ ad perfectam gubernationem inter homines necessaria esse possunt; hic autem modus obligationis sæpe necessarius est. Unde principes seculares et ecclesiastici hanc habent potestatem, ut latius in materia de Legibus, lib. 3, c. 30, ostendimus. Explicatur exemplis, nam si religiosus ægrotet morbo contagioso, potest Prælati præcipere alteri ut ei ministret, etiam cum periculo vitæ, quia illud est necessarium ad conveniens regimen monasterii, et ad conservationem, atque adeo ad commune bonum ejus; præterquam quod charitas de se obligat hoc corpus religiosum ad subveniendum partibus quibus constat, alias ei periculum imminet. Unde, quando hæc obligatio est quasi indifferens, et non applicata ad certam personam, penes superiorem est potestas applicandi illam; alias esset inefficax, nec posset convenienti modo ad effec-

tum perducere; ergo. Deinde potest Prælatum præcipere religioso ut tempore pestis assistat, si ita expediat ad commune bonum, et aliquo modo pertineat ad obligationem talis religionis, vel ex peculiari instituto, vel ex gravi necessitate occurrente; quia etiam in his casibus pertinet ad munus Prælati eis providere; habet ergo potestatem accommodatam. Denique, interdum potest præcipere longam navigationem, etiamsi habeat periculum annexum, ut ostensum est tomo præcedenti.

30. *Ad primum fundamentum, in n. 28.*—Nec fundamenta contraria difficultatem habent. Ad D. Thom. enim recte respondit Cajetanus, ea, quæ pertinent ad conservationem naturæ, per se non cadere sub præceptum humanum, id est, per se et directe non posse prohiberi, si necessaria sint, nec contraria præcipi; per accidens vero præcipi posse, præcipiendo, nimirum, actum cui conjunctum est periculum contrarium conservationi naturæ. D. Thomas ergo in priori sensu loquitur; potestas autem hæc, de qua agimus, solum posteriori modo se extendit ad hujusmodi malum contrarium naturæ. Et ratio a priori est, quia per hujusmodi præceptum non præcipitur fieri aliquid naturæ contrarium, sed præcipitur permitti seu pati, si necesse sit; quod est rationi consentaneum, et interdum bono communi necessarium, ideoque sub potestatem humanam cadit. Ad aliud fundamentum respondetur, potestatem hanc immediate ac formaliter esse jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ ad hujusmodi præcepta extenditur. Quia vero aliquo modo supponit professionem religiosam ut fundamentum, ideo dicitur ulterius, ex vi professionis subdi religiosum hujusmodi præceptis, quatenus sunt consentanea tali statui, et corpori religionis, cujus pars efficitur per professionem; sicut miles tenetur obedire duci præcipienti, etiam cum periculo vitæ, ratione sui status ac professionis. Quapropter, etiamsi religiosus dum vovet obedientiam, expresse non intendat obligare se ad obediendum in his casibus, implicite id intendit; imo, etiamsi velit, non potest hanc intentionem excludere, quia repugnat intentioni profitendi. Unde hoc genus præcepti non excedit ea, quæ sunt consentanea regulæ, ut declaratum est; non enim dicimus posse Prælatum pro arbitrio suo præcipere, sed quando ad bonum religionis, vel ad debitum munus vel ministerium ejus sit pertinens; quidquid autem hujusmodi est, spectat ad regulam religiosam, ut supra vidimus.

31. Atque hinc fere responsum est ad alteram quæstionem, jam enim declaratum est quando Prælatum rationabiliter hanc habet voluntatem, seu intentionem. Unde vel ex verbis ejus expressis, vel certe ex re ipsa intelligi poterit talis voluntas. Ad hoc autem magis explicandum, adverte dupliciter conjungi hoc periculum actioni præceptæ, scilicet, omnino per accidens, et præter intentionem ac prævisionem præcipientis; et per se, aut de facto hic et nunc cum præscientia præcipientis. Quando accidit priori modo, regulariter excusabitur quis a præcepto, quia non intercedit voluntas præcipientis, cum *nihil sit volitum, si non sit præcognitum*; nec etiam præsumitur, quia ordinaria conditio præcepti humani est, ut non obliget cum tanto rigore; neque aliud esset rationi consentaneum, quia non esset moraliter tolerabile. Dico autem *regulariter*, quia si in re intercederet magna necessitas religionis, et oppositum vergeret in gravem ignominiam, vel detrimentum ejus, tunc sine dubio præceptum obligaret vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, sicut de præceptis ecclesiasticis est communis doctrina. Quando vero periculum inest posteriori modo in re præcepta, clarum est voluntatem præcipientis esse obligare, non obstante tali periculo, et, per se loquendo, præsumitur talis voluntas rationabilis, nisi oppositum manifeste constet. Quæ doctrina communis est quoad utramque partem, sumiturque ex D. Thoma, 2. 2, q. 120; Cajetano ibi, et 1. 2, q. 96, art. 4 et 6; Soto, 2 de Justit., q. 5, art. 8; Castro, lib. 1 de Lege pœn., c. 5, docum. 5; Nav., c. 23, numero quadragesimo tertio; Sylv., verb. *Præceptum*, q. 3.

CAPUT IX.

UTRUM IN PRÆLATIS RELIGIOSIS SIT POTESTAS COERCIVA, TUM IN UNIVERSUM, TUM SPECIATIM AD PŒNAS SPIRITUALES.

1. Quod in his Prælatibus aliqua sit potestas hujusmodi, id manifestum est, tum ex usu, tum ex ratione, quia potestas directiva sine aliqua coercionem, infirma ac fere inutilis est, quia sine timore ac disciplina non potest communitas humana in officio contineri, quantumvis bona videatur in hac vita mortali; quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animum, et caro concupiscens adversus spiritum, sæpe vincit*, ideoque *septies in die cadit jugtus*. Est igitur omnino necessaria hæc potestas

tas, ut ordo, pax, et institutio religiosa conservetur. Explicandum vero est qualis et quanta sit. In quo distinguere iterum oportet in statu religioso, id quod habet quasi ab intrinseco ex pura natura sua, vel quod habet ab extrinseco superadditum ex providentia et liberalitate Pontificum.

2. Dicendumque primo est, Prælatum religionis ex vi talis status seu professionis, ac voti obedientiæ subditorum, solum habere potestatem coercendi modo paterno, et juxta limites regulæ. Probatur ac declaratur, quia ut sic non habet jurisdictionem, sed potestatem dominativam, instar illius quam habet paterfamilias in domo sua; solum enim differunt, quod hæc circa exteriora et corporalia, illa vero circa spiritualia præcipue versatur. In hoc autem conveniunt, quod neutra est proprie jurisdictionis, unde neuter etiam illorum est proprie iudex, qui possit gravem pœnam corporalem vel spiritualem imponere; sed solum eam correctionem adhibere, quæ inter latitudinem familiaris domus ac providentiæ locum habere potest. Qualis autem vel quanta esse possit hæc pœna, iudicio prudentis arbitrii relinquendum est, ut considerato usu et communi more hominum, id iudicet. Exemplo monialium id ita declaratur, nam in eis est potestas aliqua coerciva juxta regulam, licet jurisdictionem non habeant; illæ tamen non excedunt religiosam disciplinam per leviores pœnitentias. Quod si gravior pœnitio necessaria est, ad Prælatum recurrere oportet. Eodem modo in religionibus virorum vicarius, licet jurisdictionem non habeat, potestatem aliquam coercivam habet, quæ ultra leves et ordinarias pœnitentias non se extendit. Itemque fuisse olim observatum in religionibus quando præpositi sacerdotes non erant, nec jurisdictionem habebant, intelligi potest ex Regula Augustini, nam circa finem sic ait: *Præposito tanquam patri obediatur, multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, et, si quid servatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cujus est apud vos maior auctoritas, referat quod modum vel vires ejus excedit*. Denique hæc potestas solum fundatur in voto obedientiæ, et ab illo quodammodo manat, et ideo non excedit communem et regularem intentionem sic voventium; imo fortasse ipsi non possent dare majorem potestatem supra seipsos, nisi a publica

potestate descenderet, ut ex dicendis patebit.

3. Dico secundo: Prælatum religionis ratione jurisdictionis ecclesiasticæ habet perfectam potestatem coercivam Episcopalem. Hoc constat etiam ex usu, et ex privilegiis omnium religionum exemptarum; quæ enim exemptæ non sunt, non habent revera hanc potestatem in seipsis, vel in suis intrinsecis præpositis (ut ita dicam), sed manet in Episcopis, qui illam sine dubio habent in moniales sibi subjectas; et idem est de viris, si exempti non sunt; ergo in exemptis talis jurisdictionis residet in propriis Prælatibus; non enim extincta est, nec Summo Pontifici reservata, nec enim expediebat, cum sit ordinarie et regulariter necessaria; ergo translata est in religionem ipsam et Prælatos ejus per Summos Pontifices, non quidem jure communi, sed speciali, ut supra tetigi, quod proinde consulendum est. Addit Nav., Comm. 2 de Reg., n. 63, hanc jurisdictionem magna ex parte introductam vel auctam esse consuetudine, quæ vim habet dandi jurisdictionem, c. *Duo simul*, de Offic. Ordin., quod etiam repetit Comm. 3 de Reg., in fine. Et ideo consuetudinum etiam est habenda ratio; nam ratione illarum fieri potest ut tota jurisdictionis sit a Prælato religioso, quoad omnia delicta, vel quod aliqua sint Episcopi reservata, aut quod in utrisque sit jurisdictionis accumulative, de quo nonnihil in fine c. 11 dicemus. Ut autem hæc potestas explicetur, advertendum est duplicem esse posse coercionem in Prælato ecclesiastico, scilicet, spiritualem et corporalem: illa prior fit maxime per censuras, irregularitates, vel inhabilitates ad quæcumque spiritualia bona, vel jura, vel ministeria, et omnia alia quæ ad hæc revocari possunt; sub corporali comprehendimus quæcumque corporis castigationem, afflictionem, vel etiam publicam reprehensionem, aut infamationem, aut incarcerationem, vel deputationem ad quodcumque vile vel laboriosum opus, seu ministerium; aliæ enim pœnæ temporales, quæ fieri solent in externis bonis fortunæ, in religiosis, qui non possident propria bona, locum proprie non habent; quamvis enim privari possint usu aliquarum rerum, qui alias ipsis liceret, vel etiam secundum regulam esset debitus, illa tamen privatio propter corporis afflictionem imponitur, et ita sub prædictis pœnis comprehenditur.

4. *Tractatur secunda pars tituli, de potestate coerciva spirituali.*—Quæri ergo imprimis potest, quantum se extendat hæc potestas